





DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICO-  
PRACTICA

DE

# CARDIALGIA SYNCOPTICA,

FAVENTE DEO OPTIMO MAXIMO  
<sup>QUAM</sup>  
IN ALMA VIADRINA  
GRATIOSO FACULTATIS MEDICAE  
CONSENSU

Sub Praesidio

DN. ANDREAE OTTOMARI  
GOELICKE,

MED. DOCT. ET PROF. PUBL.  
h. t. FAC. MED. DECAN.

Et Circuli Lebus. Physic. Ordinarii  
PROMOTORIS AC PRAECEPTORIS SUI OMNI HONORIS  
CULTU AETATEM PROSEQUIENDI

PRO GRADU DOCTORIS  
RELIQUISQUE HONORIBUS, PRIVILEGIIS ATQUE  
IMMUNITATIBUS

RITE AC LEGITIME IMPETRANDIS

Die III. Octobr. An. MDCC XXVII.

Horis ante & pomeridianis

IN AUDITORIO MAJORI

Placido ac publico Eruditorum Examini submittit

JOHAN. CHRISTIANUS UNGNAD

Francof. Meso-Marchicus.

Francofurti cis Viadrum, Typis TOBLÆ Schwarß.



DISPUTATIO IN MUDICR ALIS MEDICO  
PARS Tertia

ad

# CARDINALIA EYNOPIA

PARVUS DEO OPTIMO MAXIMO  
CIVITATIS ET CIVILIA MEDICINA  
CONSENSU

IN VENDEGAE OTTOMARI  
CORIICE

PROXIMA DACTYLIS

DISPUTATIO IN MUDICR ALIS MEDICO

PARS Tertia

DISPUTATIO IN MUDICR ALIS MEDICO

PARS Tertia

DISPUTATIO IN MUDICR ALIS MEDICO

PARS Tertia

D  
PER-ILLUSTRI  
GENEROSISSIMO *atq; EXCELLENTISSIMO*  
DOMINO  
**DNO. CAROLO**  
**FRIDERICO**  
DE  
**SCHOENBECK,**  
REGIÆ MAJESTATIS BORUSSICÆ  
CONSILIARIO SPECTATISSIMO,  
REGIMINIS NEO-MARCHICI, QUOD CISTRINI  
VIGET,  
CANCELLARIO ET PRÆSIDI GRAVISSIMO,  
DOMINO IN STOLTZENBERG &c.  
MÆCENATI AC PATRONO SUO  
MAXIMO STUDIO DEVENERANDO.

UT ET



UT ET  
VIR O  
PL. REVERENDO, AMPLISSIMO, DOCTISSIMO,

DOMINO  
**Dn. HIERONYMO**  
**UNGNAD,**

PHILOSOPHIÆ MAGISTRO,  
ARCHI-DIACONO AD TEMPLUM MARIÆ,  
QUOD EST FRANCOFURTI AD VIADRUM,  
MULTOS ANNOS VIGILANTISSIMO, MERITISSIMO,  
STUDIORUM SUORUM ALITORI LIBERALISS MO,

PARENTI SUO BENIGNISSIMO,  
POST CINERES ADMODUM COLENDO,

Hancce Dissertationem Inauguralem  
ea, qua par est submissione filia-  
lique observantia

D.D.D.

Autor.



## PROOCMIUM.

**E**tiam si plerasque lites, quas de principatu viscerum fervide inter se mutuo agitarunt Veteres, maximam partem inutilles & supervacuas judicemus: Negari tamen non potest, unam corporis partem prae altera eminentiorem utique utilitatem necessitatemq; pro conservanda Oeconomiae vitalis salute praestare. Ad felicitatem Reipublicae cuidam procurandam omnes quidem cives, suo quivis modo ac modulo, cooperantur; At non omnium par est necessitas parque utilitas. Sunt enim, quibus citra salutis suae dispendium absolute carere nequit; Sunt tamen etiam, qui tantum ad bene esse symbolas suas conferunt. Eodem plane modo comparatum est cum oeconomia corporis animalis; In quo, quae vitalibus subserviunt

A

unt

unt aëtibus, viscera, urgentioris utique necessitatis sunt p̄ae animalibus, qui quippe *ad melius esse* tantum concurrunt: Ita tamen, ut sine utrisque amice inter seſe conspirantibus, totius Systematis salus atque incolumitas sarta tectaque conſervari nequeat. Hoc intuitu ventriculo principem inter viscera vitalia locum concedere nulli dubitamus; Quia, si is cibos assumptos rite digerat inque chylum laudabilem convertat, sanguificationis quoq; negotium reliquiq; cum eadem connexi aëtus vitales, secretorii imprimis & excretorii rite procedent: Eodem vero labefactato vel doloribus adfecto, hi quoque debilitentur vel corruant, necesse est. Placet autem ex numero fa illa adfectuum, ventriculum laudentium serie, *Thematis Inauguralis* loco, hac vice **CARDIALGIAM** tantum **SYNCOPTICAM** eligere; Gui, ut pro virium mihi concessarum modulo rite satisfaciam, Summum Numen devotis imploro precibus, ut suam mihi gratiam eum in finem elargiri haud dedignetur.

§. I.

**S**i nomina rebus, quibus imposita sunt, semper responderent, dubitari haud injuria posset, an non affectui, quem tractaturi sumus, plane alienam denominationem tribuerint Veteres; *Cardialgia* enim, quasi ἀλγος της καρδιας, notat vi vocis *dolorē cordis*, cum tamen genuinum locum affectum non cor, sed superius ventriculi orificium esse, neminem Practicorum latere possit, nisi forte eo ex capite excusare malis primos vocabuli hujus architectos, quod της καρδιας adpellatione haud infrequenter ventriculi indigitaverint, nec alienum sit à moribus Medicorum, vulgi sensu (citra vanam tamen *Machiavellismiadfectionem*) sese adcommodare: Unde in hunc usque diem *praecordiorum* nomine illa indicari solet corporis regio, quæ sub scrobiculo cordis sita est, ubi dolores & anxietates, quibus hoc in morbo subjiciuntur aegrotantes, maximam partem sese manifestant. Non tamen limitibus tam arctis doloris sedem circumscribere licet, cum subinde etiam ad alterutrum hypochondriorum sese extendat, imo & in opposita dorsi regione dolores istos patientes persentificant, orificio quippe ventriculi sinistro circa undecimam atque duodecimam thoracis vertebram spinæ dorsi adjacente.

Dolore adfici omnes, qui *Cardialgia* laborant, ex propria aegrotantium confessione constat. Apud omnes tamen non esse aequae exquisitos, nec eodem doloris sensu extorqueri, sed alios magis de *punctoriis*, alios de *lancinantibus*, alios de *morsu*, alios de *rofione*, rursumq;

sumq; alios de *pressione* atque *tensione* & contra quos-dam de *compressione*, quasi scilicet cingulo omnia constringerentur, querelas movere, diveritatis subjectorum atque caussarum, à quibus *cardialgia* proficiscitur, adscribendum est. Quomodocunq; vero cum sensu comparatum sit, rei tamen natura monstrat, ex censu *adfectuum spasmodicorum* esse *cardialgiam*. Ac proinde, si vel definitionem justam vel qualemcumq; saltem descriptionem ejusdem subministrare deberemus, talem suppeditare integrum nobis fuerit: *Cardialgia* in genere est *adfectus spasmodicus* exquisiti sensus, circa sini-strum seu superius ventriculi orificium potissimum, sese exerens, in consensem tamen simul trahens dia-phragma; Quam ob caussam frequentia suspiria cum spirandi difficultate, praecordiorum anxietates, nau-sa & quandoque vomitus, imo subinde plane syncope est conjuncta; (Quo postremo casu *cardialgia syn-coptica* nostrae tractationis exoritur) respiciens vel ad pravorum ventriculi contentorum excissionem, vel flatuum ibi conclusorum & quasi incarceratorum dis-sipationem, vel sanguinis circa loca ista congesti dis-sussionem vel actualem expressionem.

## §. III.

Spasmodicae indolis esse, quem tractamus, adse-  
tum, non modo ex acuto tensionis atque pressionis  
sensu, quem circa praecordia persentificant aegrotan-  
tes, patet, sed & ex ipso finali respectu, quem prin-  
cipium agens H. C. intendit, quique ad materiae mo-  
lestiae, ventriculo inherentis vel ad eum saltem con-  
gestae & ad excisionem destinatae promptram remo-  
tionem totus directus est, manifeste colligere licet;

ubi

Ubi id adhuc circa *cardialgiam* nostri census, nempe *syncopticam* speciatim animadvertisimus, quod stricture ista spastica tanta subinde capiat incrementa, ut, praeter ventriculum, ipsum quoque diaphragma & pericardium, imo & intestina una cum ligamento suo membranaceo, scilicet mesenterio in consensum trahantur, eo respectu pathemata suffocativa vel *syncopica* complicantur. Nolim tamen ideo negare, summam stricularum talium tonicarum vehementiam alternare subinde cum contraria partium affectarum relaxatione, tali in primis in casu, quando flatulenta ventriculi intestinorumq; distensio praecepsit: Verum haec ipsa quoque alternatio & reciproca quasi tensio atque remissio toni est, quae partes affectas tanto sensibiliores reddit.

## §. IV.

Prius tamen, quam ad specialem horum omnium deductionem pedem promovere nobis liceat, ordinis atque doctrinae ratio expostulat, ut, qua ratione *cardialgia simplex* à dolore ventriculi, ab *angustiis* & *anxietatibus* ita dictis *praecordialibus*, à *cardiogmo* infantum, à *cardiaca syncoptica* veteribus ita dicta, à *passione colica* ac specialissime à *cardialgia syncoptica* differat, distinctius indicemus. Id quod eo magis necessarium nobis vixum est, quod qualisunque affectuum, toto ceteroquin cœlo differentium, analogia & circumstantiarum quarundam conformitas per frequentem errandi occasionem subministrasse Practicis videatur: Quae confusio tanto solerius vitanda, quanto certius famam & existimationem suam discriminari & sinistris hominum malitiosorum judiciis exponit artifex, si in determinando

nando vero morbi genere nimium quantum aberrat.

## §. V.

Cum itaque simplex ventriculi dolor, quem alii *con-*  
*licam ventriculi* adpellare malunt, magis in fundo seu  
 tunicacea latiori ejusdem substantia vel orificiorum  
 ejusdem inferiori potius, quam superiori sedem suam  
 habeat, minus exquisitus sit ipsaq; doloris species sensum  
 magis compressionis vel distensionis in ventriculo  
 prodere videatur, nausea insuper & appetitus pro-  
 stratus, quibus quandoq; vomitus vel diarrhoea super-  
 veniunt, sit conjunctus: Non difficile erit, eundem à  
*cardialgia* speciatim *synoptica* distingvere, in qua quippe  
 dolor, cum superiori ventriculi orificio occupa-  
 verit, non modo exquisitissimus est, sed & symptomati-  
 bus longe gravioribus, *synopticis* vel *suffocativis* stipi-  
 tus.

## §. VI.

Quanquam etiam de *angustiis praecordialibus* & or-  
 tis inde *anxietasibus* haud raro has vel similes amaras  
 proferri audias querelas: Es sey ihnen so sehr angst  
 umbs Herz; Es wolle Ihnen ganz das Herz ab-  
 drucken etc. Quales in primis anxietates experuntur  
 tertianarii sub paroxysmo frigoris, febribus itidem bi-  
 liosis, cholericis, imo causa ipso, cholera morbo ac po-  
 tissimum febribus malignis affecti: Certissime tamen  
 persvasi sumus, ignorare turbam talium quiritantium,  
 quid proprie sit, de quo justam conquerendi caussam  
 habeant? Non enim proprie, quod dolet, cor est, sed  
 circa regionem, quam vocant *praecordiale*, quae dia-  
 phragma, viscera hypochondriaca ac speciatim ven-  
 triculum

triculum comprehendit, istae, quas sentiunt, anxietates  
se manifestant. E contra in *cardialgia*, ipso sensu te-  
ste, scrobiculus cordis sive potius sinistrum ventriculi  
orificium est affectum, ita tamen, ut ipsum quoque  
diaphragma, pericardium imo subinde cor ipsum in  
consensum trahantur; Quo casu nonnunquam subita-  
nea virium prostratio, lipothymia, syncope, sudorum-  
que frigidorum circa frontem eruptio, uno verbo,  
*cardialgia Syncoptica* exurgit.

## §. VII.

Praeterea ignotum quidem non est, Practicos  
quosdam vocabulis *cardiogni* & *cardialgiae* promiscue &  
indifferenter uti, quasi unum eundemq; affectum iis-  
dem designatur; Sunt tamen, qui inter utrumq;, ceu  
specie differentem, nec forte injuria, distingvunt: *Car-*  
*diognus* enim uti aetati infantili ac puerili familiarior  
est, & cruditatibus primarum viarum, lacti acido &  
corrupto, flatibus & vermbus ut plurimum originem  
suam debet, insuperq; cum nausea, praecordiorum an-  
gustiis, spirandi difficultate ac non raro vomitu ipso  
conjunctus est: Ita *cardialgia* non adultioribus modo  
magis propria est, suamq; vehementiam latius per-  
partes proximas diffundit, sed & longe alias, quibus  
inducitur atque sovetur, caussas agnoscit.

## §. VIII.

Solerter quoque cavendum est, ne *cardialgiam syn-*  
*opticam* nostri census cum *cardiaca syncoptica*, sive quod  
idem est, *syncope cardiaca*, quam veteres sic appellarunt,  
confundamus; Praeterquam enim, quod intuitu par-  
tis affectae mirum quantum inter se mutuo differant,  
caussarum quoque respectus utrobiq; idem non est:

Quan-

Quandoquidem *cardiaca synoptica* ex stasi sanguinis in pulmonibus exoritur, atque cum angustiis pectoralibus, difficultate spirandi, pulsus totali propemodum cessatione, frigore extremorum, faciei pallore, sudorum frigidorum eruptione aliisq; symptomatibus sitiata est: Quorum omnium haud pauca in *cardialgia synoptica* secus sepe habent.

## §. IX.

Tanto vero magis necessarium est, *cardialgiam à dolore colico* adcurate discernere, cum quo tamen à medicis, historiae morborum nondum adeo gnaris, sic sati familiariter confundi solet; Qui error cum non in nuda speculatione consistat, sed *aequivocae curationi* ansam certo certius subministret: Perirae utriusq; discretioni operam eo diligentius navare oportet, quo facilius est, errorem talem nasci posse, si, quod fieri subinde solet, *cardialgia* omnem suam, quam habet, efficaciam deorsum magis extendat, & *passio* è contra *colica* sursum magis versus eam *coli* partem, quae sub fundo ventriculi decurrit, diffundatur: Cum *cardialgia* ordinarie sursum versus *cesophagum*, cui superius ventriculi orificium continuum est, verus autem *colicus dolor* ut plurimum deorsum versus lumborum vel renum regionem protendatur. An vero, quod Praetorum nonnulli praetendunt, vel unicum saltem clyisma anno injectum omnes hic difficultatum obscuratumq; nebulas discutiat, omnisq; differentia inter pathemata *cardialgica* vel *colica* in plena statim luce collocetur, in medio relinquere, quam aliorum experimenta dubia reddere malo.

## §. X.

Omnium facillimum est, *cardialgiam simplicem à synoptica distingvere*; Cum illa non minori tantum gradu patientes adficiat, sed & symptomatibus longe remissioribus invadat: *Haec vero sumnum morbi gradum constitutat, ac paibemata suffocativa & synoptica, à quibus etiam nomen accepit, inducat.* Quanquam alii in *cardialgia synoptica* absolute superius ventriculi orificium, ceu reliqua ejus substantia sensibilius, in *simplici* vero vel pylorum vel membranaceum ventriculi contextum accusare malint.

Quae ipsa quoq; consideratio ad adcuratiorem partis adfectae investigationem sensim viam nobis pandit. Evidem in eo communem Practicorum sensum & consensem animadverto, *ventriculum adfici*; Cum vero præter duo orificia ipsum quoque fundum seu capaciorem ejus partem considerent Anatomici: In eo nihilominus aliquem inter illos dissensum observo, dum alii absolute semper omniq; in casu superius tantum orificium, quod ideo antiqui speciatim *xapðlav* five vocarunt, accusant, alii vero subinde in pyloro, tandemque alii in ipso plane ventriculi fundo sedem mali quaerunt. Quod sinistrum ventriculi os attinet, vix ausim negare, ut plurimum illud præ aliis ventriculi partibus laborare, in primis cum sub cartilagine Xiphoidie vel digito ab aegrotantibus monstrari possit doloris locus, qui, cum per se jam satis acerbus sit, à levissimo attactu vel pressione multum exacerbari solet, insuperque cum inquietis corporis jactationibus, syncope aliisq; gravioribus pathematibus est conjunctus.

B

A qua

A qua communi Practicorum sententia vix forte recessissent alii, nisi *VESLINGIUS* scrupulum injecisset, atque solum superius ventriculi orificium seu partem affectam in omni *cardialgia* frustra accusari, acriter contendisset; Quod ejusdem assertum quoque à strutura reliquarum ventriculi partium non est alienum. Quare enim *pylorus* non aequo interdum ac *stomachus* seu os ventriculi superius *malo cardialgico* locum praebet? Esto enim, *hoc prae illo* acutiori sensu pollere; suis tamen pariter nervis, à sexto pari oriundis, licet numero paucioribus, est instructum; Ut hoc respectu, cum tam exquisiti sensus capax non sit, *cardialgiam* in leviori saltu gradu parere queat. Et quare quae sit tota ventriculi substantia, id quod praetendit *WILLIUS*, sedem morbo praebere non posset? Cum ex *Anatomie* constet, internam ejus tunicam totam nerveam, proindeq; summe quoque sensibilem esse. Imo putaverim ego, ipsum intestinum duodenum, pyloro immediate connexum eo minus excludi posse, quo certius patientes cardialgici ipso suo sensu satis addidicerunt, tanta interdum violentia saevisse *cardialgiam*, ut *epigastricam* non modo abdominis regionem occupaverit, sed & per dorsum, imo ipsas plane scapulas se diffuderit.

## §. XII.

Non ideem tamen omnium *cardialgia* adsectorum sensus est; In quibusdam enim dolores sic satis tolerabiles sunt, in aliis vero tanta saevitia patientes adoriantur, ut animo linquantur, & per notabile temporis intervallum examinati jaceant; Quale exemplum ante biennium sua in praxi sese observasse recordatur Exper. D. D. Praeses, in virgine quadam nobili

sedecim

sedecim annorum, quae ad iram ab ancilla provocata *cardialgiam syncopticam* horrendam incurrebat, cuius paroxysmus, saltem circa morbi initium, dimidium propemodum horae quadrantem perdurabat, quo toto tempore parum vel nihil sensibiliter respirare vi-sa est, donec tandem, paroxysmo superato, altis suspi-riis ductis, ad se redierit. Quidam de *morsu*, alii de *punctione*, rursumq; alii de *rofsonis* sensu circa scrobiculum cordis conqueruntur. Quidam de dolorifica *ten-sione*, alii de *compressione*, quasi cingulo quodam omnia constringerentur, quarelitas movent. In nonnullis ar-*tioribus cancellis* circumscribitur doloris locus; In aliis vero latiorem adfectat ambitum, ut non modo sursum per oesophagum vergendo suffocationem comminetur, sed & deorsum sese extendendo viscera hypochondriaca, imo ipsum plane mesenterium spasmodice constringendo, *cardialgiam syncopticam* pariat. In quibusdam dolores continui sunt, nulla notabili remissione, nedum totali intermissione conspicui; In aliis vero sua observant intervalla, in quibus tamen iterum eam animadvertere licet diversitatem, quod subinde certo, subinde vero etiam incerto tempore revertantur; Quorum omnium aetiologias evolvere supersedemus, prolixitatem supervacuam vitaturi.

## §. XIII.

Illud vero disquisitione non indignum est, un-denam exquisitissimum suum, quo ventriculus gau-det, sensum nanciscatur? Id quod indagare non erit difficile, dummodo ex *Physiologicis* praesupponamus: *Nervos instrumentum esse omnis sensus*; Eumque vel acutiorem vel obtusiorum esse, prout vel plures vel

B 2

paucio-

pauciores nervi per aliquam partem sunt distributi.  
 Cum itaque, notante *WILLISIO*, adcuratissimo syste-  
 matis nervosi exploratore, nervi parisi vagi ad ventricu-  
 lum delati juxta superius (ventriculi) orificium plexus insi-  
 gnes imo quoddam quasi reticulum, quo totus ejus ambitus ob-  
 ducitur, constituant, idemque totidem propemodum  
 verbis repeat *VERHETENIUS*, quod nempe à pari vago,  
 cuius uterq; truncus, constitutis nervis cardiacis, pneumoni-  
 cis & quibusdam aliis, juxta oesophagi latera deorsum pergens  
 in duos ramos, interiorem & exteriorem, dividatur, nu-  
 merosi surculi per orificii sinistri parietes distribuantur, qui  
 ibidem plexum nervorum reticuli inßar constituant: Hinc sen-  
 sibiles admodum reddant partes istas necesse est; Ex  
 quo etiam fonte causam *cardialgiae* & complicatorum  
 animi deliquiorum idem derivare non dubitavit, ad-  
 jiciendo: *Ob insignem illam nervorum congeriem fieri quan-*  
*doque ingentes dolores circa sinistrum ventriculi orificium*  
*(cardialgiam vocant) qui secum trahunt frequens animi*  
*deliquium, communicationi inter hos & nervos cordis impun-*  
*tandum.* Cumque, eodem laudato *WILLISIO* observante,  
 tertia ventriculi tunica tota nervea sit, atque sinis-  
 ter parisi octavi ramus, postquam superato diaphra-  
 gmate, stomacho surculos quosdam impertivit, in duos  
 alios ramos divisus, altero illorum, nempe exteriore  
 quam plurimis fibrillis non tantum ventriculi fundo,  
 sed & inferiori ejusdem orificio seu pyloro sece-  
 insinuante: Clare etiam intelligitur ratio, quare parti-  
 um harum sensum sic satis quidem acutum, eo ta-  
 men, quo *stomachus* extorquetur, gradu longe remis-  
 siorem esse oporteat.

§. XIV.

Haec ipsa quoq; de qua hic nobis sermo est, *individualis sensibilitas*, quae pro subjectorum ac temperamentorum diversitate mirifice variat, vera est caussa, quare alii praे aliis facilius & familiarius in *cardialgiam* incident. Imo eadem illa *sensibilitas* caussa est, quare non omnia subjecta pari gradu indiscriminatim eandem patiantur, sed alii gravius, alii remissius: Unde, quo quis *sensibilior*, eo quoque ad *cardialgiam syncopicanam* prior. Eadem quoq; exquisitae *sensibilitati* in acceptis referendum est, quod nonnulli, qui graviorum animae pathematum vi abripi sese passi sunt, *cardialgiae* obnoxios sese reddant, quae & *syncopen* haud raro comitem habet. Aetas quoque *infantilis* praे *adultiori* frequentius incurrit *cardiognum*, quia frequentiores in illa praे hac occasiones, illum foventes occurunt, uti sunt *lumbrici*, *flatus*, *lac corruptum* atque *coagulatum*, *saburra mucido-viscida* primarum viarum &c. De viris *hypochondriacis* & mulieribus *hystericis*, quorum illi *ataxia haemorrhoidum*, *hae vero mensum* vitiis laborant, notissima res est, quod *cardialgia* praे aliis familiarius adficiantur. Idem de *nephriticis*, *arthriticis* aliisque spasmodicis affectibus tentatis observationes docent. Subjecta deniq; *nauseosa*, quae à quavis re, alias per se innocentia, *nausea facile* corripiuntur, nec tamen, quod cum fastidio adsumere, prompte rejiciunt, in *cardialgiam* facile incident. Paria fata experuntur, qui inter prandendum vel coenandum ad iracundiam undecunque coortam commoti fuere: Id quod eo promptius ac citius fieri solet, quo exquisitior circa superius ventriculi orificium sensus fuerit excitatus;

tatus; Tales enim, uti omnia incommoda, etiam leviora visa, facilius persentientur; Ita vehementius quoque offendit inde ventriculus haud raro *cardialgiam syncopatam* incurrit. Qui denique flatulentiae & obstructiōnibus alvinis frequentius laborant, ad *cardialgiam* quoque proniores esse deprehenduntur.

## §. XV.

Symptomata, quibus obnoxii sunt *cardialgicis pathematis* affecti, sunt anxietates praecordiorum, quibus plerumque nausea, imo haud raro vomitus ipse complicatur. In plerisque; ingens spirandi difficultas observatur, subinde etiam alternatio caloris & frigoris cum sudorum anxiorum eruptione; *Quidam* ingentes inquietudines & continuas fere corporis jactigiones experintur, & instantे *syncope* ut plurimum vertigines & scotomiae praecedere, deinde vero pallor faciei, extremonum refrigeratio, sudorumque frigidorum eruptio aliaque mala consequi consuevere; Imo, si ex turbis sanguinis circa V. P. coorta sit *cardialgia*, subinde plane febriculam comitem habet. Ut vero priora ac leviora symptomata *cardialgiae* tantum simplici accident: Ita posteriora *syncoptae* potius, quae sumnum morbi gradum constituit, propria sunt. Quorum omnium aetiologias ex claris atque perspicuis fundamentis haud difficulter eruere possemus, si in rerum modis potius, quam veris morbi circumstantiis evolvendis tempus inutiliter terere vellemus; Ita tamen, ut ex *pathologia salsa*, efficacia nempe salium acidorum, austeriorum vel ponticorum, indeque nervis inducta stimulatione, irritatione & lancingatione, sicque lacefito quasi furioso spirituum animalium influxu

fluxu aliisque fictis *pathologiae vulgaris* subsidii arcessere, nullam aequa necessitatem impositam nobis esse videamus.

## §. XVI.

Illud tamen solerti disquisitione non tantum non indignum, sed & certo respectu necessarium est, undenam ingens illa dolorum diversitas, cuius superius mentio facta est, dependeat; Hoc enim scrutinium ad caussarum, *cardialgiam* inducentium, adcuratorem cognitionem pedetentim nos ducit, qua prudens rerumque suarum fatagens Practicus tanto minus carere potest, quo certius est, omnem rationalem simulque fundamentalem medicationem, quam ab affectata omni *Charletaneria* & *irrationali empiria* alienam esse oportet, caussarum notitiae exactae innixam & superstructam esse debere, nisi apertum *Machiavellismum* medicum subtus latere & clanculum exerceri, suspicari malis.

## §. XVII.

Quotienscunque itaque de dolorifica *tensione* ac *pressione* circa scrobiculum cordis, sive de *dolori distidente*, cum graviori vel leviori praecordiorum anxiate conjuncta conqueri patientes audiverit medicus, flatum in ventriculo conclusorum & extum quidem molientium, sed, propter utrumq; ipsius orificium spastice constrictum, eundem nullibi inventium retentionem & pertinacem quasi incarcerationem excitare *cardialgiam* augurio non vano, nedum inepto hariolabitur; Cujus suae opinionis plenam statim certitudinem sibi acquiret, dummodo ad juventia circumspete attendere velit: Frictiones enim mode-

modestae vel sola calida manu circa praecordia institutae eructationes aliquot caussabuntur, id quod tam in adultis, quam potissimum in infantibus cardiogmo tentatis prosperum habuisse successum & prompte sublevasse patientes, centies experti sunt. Practici. Talis vero caussa in mulieribus hystericis, & viris hypochondriacis, flatulentiae quippe ob turbas sanguinis circa V. P. ejusq; ramifications subortis, frequentius obnoxias obtinet, quae deinde consensuales tales passiones, in primis vero flatulentiam post se trahunt. Similiter ab aliis dudum observatum est, inflationi ventriculi subinde *cardialgiam* complicari, quando scilicet à retentione flatuum, exitum difficulter invenientium, ortum suum traxit: Qualem Casum *ETTMULLERUS* in *Collegio suo Consultorio Casu V.* pag. 132. *Oper. suor.* Tom. II. Part. II. adnotavit.

## §. XVIII.

Qui de *morsionis*, *commorsionis* vel *rosonis* sensu quelas movent *cardialgicis pathematisbus* adfecti, de lumbricis vel aliis animalculis viventibus in ventriculo hospitantibus suspicionem praebent; Quale mirandum exemplum *BARTHOLINUS* *Aelor. Hassiens.* Vol. V. Obs. 34. aliisque passim recensent: Quibus deinde insolito hospitio expulsis, omnis *cardialgiae* violentia miraculo citius conticescit. Cumq; tales casus in infantili ac puerili aetate longe frequentissime Practicis occurrant, nihil est, quod morari illos possit, quo minus peregrinis hisce hospitibus origo mali tribuatur; Ubi tanto minus justae dubitationi locus esse potest, si saliva tenuis & limpida abundantius in ore confluat, aliqua verminosorum adfectuum signa atque indicia adultio-

sese prodant. Et licet status talis verminosi concursum adultiori in aetate paulo rarius adesse facile concesserim; Penitus tamen immunem esse eandem, adserere non ausim, cum totidem observationes ab aliis partim in contrarium allegari facile possint, partim nobis ipsis tales ignotae non sint.

## §. XIX.

Praeter hos alii in praxi nobis occurrunt, qui de sensu potius *compressionis* vel *dolore constrictorio*, quasi nempe cingulo omnia, quae non modo praecordialem sed & hypochondriacam regionem comprehendunt, essent constricta, excruciali sese quiritantur; Qui, si nullum manifestum in diaeta vel regimine non multo ante commissum allegare noverint errorrem, suspicionem praebent, quod viscera hypochondriaca, quae cum V. P. conspirant, culpam omnem a se amoliri haud facile possint; Quotiens nempe sanguis, ob impeditorem ejusdem per V. P. progressum, copiosius versus ventriculum restringitur, nullo alio fine, quam ut, apertis tandem vel ruptis vasibus brevibus, excutiatur: Quo tamen scopo cum non semper potiatur Natura, vomitusque cruentus actu non subsequatur, sed in solis tantum inanibus conatibus pressoriis subsistat; Hinc vehemens cum compressionis sensu conjuncta *cardialgia* orietur.

## §. XX.

Nec purgantia *drastica* vel *drasticoteria* omni hic culpa vacant. Lanio quidam, qui citra ullam solidam siue utilitatem five necessitatem decem grana *resinæ scammonii* in *tinctura rhabarbari* sufficierent non soluta, sed eidem superficialiter tantum confusa acceperat,

C

horren.

horrenda *cardialgia*, à qua aegerrime liberari potuit, correptus est; Id enim resinosis, in convenientibus menstruis intime non solutis solemine est, quod vehementes spasmos primis in viis concitare atque adeo *cardialgiae* auctores existere soleant: Sicuti hoc nomine *scammonii resina*, excessiva in primis dosi exhibita, sensibilioribus praeципue infensa esse solet. Cui parallelam observationem adduxit *HENRICUS ab HEERS*; In cadavere enim ejus, cui à Medicastro *euphorbium* fuerat exhibitum, substantia ventriculi circa medium, ad magnitudinem majoris lili, exesa est inventa, idq; non sine signis circum circa labia gangraenae. Quo eodem atro carbone notanda quoque sunt emetica, acia nempe & stimulantia, ex antimonio potissimum parata, quae, si subjectis habitoribus, breviori & humeris quasi immerso collo gaudentibus, quae ut plurimum ~~durauerat~~ esse deprehenduntur, improvide exhibeantur, gravissimorum iterum *spasmodorum & cardialgiae* auctores existunt, in quibus post violentas plures, sed plerunque inanes nulloque utili fine potitas eructationes, funestum tandem effectum & eventum conspicere licet. Ut proinde artifici tali ad incitas redacto illud saltem tritum ingeminare integrum sit:  
NON PUTARAM.

## §. XXI.

*Diarrhoeae spontaneae, criticae* proindeque salutares suo in successu turbatae, offensae vel plane suppressae, *cardialgiam* vel *simplicem* vel *synopticam* pariunt. Notissima est Clariss. D. Praesidi mulier, quae, cum diarrhoea tali critica, sine tormentibus ventris, sine notabilis virium jactura, imo potius cum euphoria tentatur,

tur, solum incommodum toties desidendi vitatura, haustum vini rubelli gallici sumfit, & non multo post alvum quidem conticuisse, sed *cardialgiam* successisse, experta est; Quae etiam totiens missitat, nosque non modo comminatur, sed & reipsa facit recursus, quotiens vel levissimum tantum in diaeta committit errorem. Est namque ea plerorumq; adfectuum spastmodicorum indeoles, ut, si semel atque iterum unum idemque subjectum invaserint, data quavis levissima occasione resurgent novoque impetu idem adoriantur.

## §. XXII.

Vitia *diaetae*, id quod primo forte loco commorandum fuisset, *cardialgiam* non raro pedissequam habent. Sive enim esculenta majori, quam decebat, aviditate fuerint ingurgitata, sive abundantia nimia peccaverint, sive qualitatis labe fuerint notata, sive cum nausea & aversione assumpta, *cardialgiam* quoq; gignunt, quam hac ex causa suos derivasse natales, nausea & vomitus haud obscure testabuntur. Unde etiam hanc *cardialgiae* speciem communiter *nauseosam* vocitant Practici. Recordatur *Exper. D.D. Praeses* foeminae cuiusdam, quae cum aliquando salmonis frustulum pinguis ea parte, qua pinnis adnascitur, cum nausea comedisset, gravi *cardialgia* correpta inde fuit, quae per intervalla, licet incerta, suos habuit recursus, donec exacto integro duorum mensium spatio illud, quod olim non sine fastidio adsumferat, salmonis frustulum, & quidem, quod mirandum, parum vel nihil mutatum, per vomitum rejecisset; A quo deinde tempore nihil horum amplius persensit.

C 2

## §. XXIII.

Quod etiam subita refrigeratio, corpore toto calente & sudoribus perfuso, in inferioribus improvide admissa, *cardialgiam* sensibilioribus inducere possit ac soleat, monere supervacuum est, postquam totidem exempla illorum prostant, qui id cum damno suo experti sunt, quique sine dubio gravius multati essent, nisi diarrhoea spontanea oportune superveniente, rerum suarum discriminis liberati essent. Neque casus rariores, cum insolitis accidentibus stipatos, quique propterea per fascinum inducti vulgo creduntur, prolixius memorabo; Quia rarissime medelam admittunt. Et cui quaeſo bono malam conformatiōnēm cœu cauſsam *cardialgiae* allegarem? Cum in eam nullam artis potestatē esse, abunde omnibus ſit perspectum. Esto enim, *Anatomē Practicā* commoniſtraſſe, cartilaginem Xiphoidem ſeu enſiformēn intro depreſſam ſtomačum doloriſce compressiſſe, & ſic fixae atque continuæ, qua tota in vita conflictatus fuerat aeger, *cardialgiae* cauſam fuīſſe, quid inde lucrabitur artiſex? Nam cum reductionem omnem artificialem respat atque adeo malum per ſe incurabile ſit, non ſane adparet, quid ſolatii omni hac ſcientia ſua aegrotanti adferre queat.

Satius erit, ut, quid de vario *cardialgiae* ſtatu, periculo & exitu ſentiamus, paucis edifferamus. Nemini nō proinde Practicorum latere potest, *cardialgiam*, à primarum viarum vitiis inprimis oriundam, per ſe quidem nullum vitia periculum minitare: Malum tamen minime flocci pendendum vel negligentius tractan-

tractandum esse, quia non solum exquisitissimos do-  
lores parit, sed & haud raro gravissima sibi juncta  
habet symptomata: Unde, comparative loquendo,  
*idiopathica* quoque *prae symptomatica* levioris semper  
momenti est: Majus vero periculum involvit *synoptica*,  
quaeque malignis complicata est, teste *Hippocrate*  
*Secl. IV. Aph. 65.* Haec enim terrere medicos merito  
debet, talis maxime, quae per intervalla revertitur,  
nullamq; manifestam caussam prodit; Id quod tamen  
cum lipothymia, quae à caussa manifesta proficiscitur,  
citoque transit, aliter se se habet. Est quoq; adfectus  
vel levior vel gravior, proindeque vel periculosior  
vel minus periculosus, pro ipsorum subjectorum ac  
temperamentorum diversitate, intuitu potissimum  
*sensibilitatis.* Quod idem etiam sentiendum est, si vel  
stomachus vel pylorus vel ipsa ventriculi substantia  
membranacea spasmodice fuerit adfecta. Quotiens-  
cunque, quod haud raro in praxi observatur, lumbri-  
ci, in ventriculo in primis hospitantes collidunt, eoq;  
casu gravissima symptomata, convulsiones & deliquia  
animi socia habet adfectus, totiens pessima qaaevis me-  
tuenda sunt: Constat enim, aegros tales symptomato-  
tum quorundam, quae ex improviso supervenere,  
vehementia è medio sublatos esse. Si ab effusione &  
regurgitatione bilis post praecedentem iracundiam  
derivaverit originem suam, eaque moram in ventri-  
culo nectendo in statum aeruginosum transferit, in-  
febris subinde inflammatoriam & causum cum per-  
nicie aegrotantis degenerat, testante iterum *Hippocra-*  
*te Secl. V. Aph. 65.* Extremorum frigus, sudores frigi-  
di, singultus aliaque ejus commatis si complicentur.  
annulinq

mortem in propinquu esse, denunciant. Quae à flatibus aliisque primarum viarum vitiis ortum suum deduxit, minus reformidanda est: Ructus enim vel flatus vel vomitus supervenientes malum vel levant vel tollunt. Quandoq; *cardialgia*, ipsius *Hippocratis* testimonio, in tympanitidem pessimo omne transisse observata est; Id quod eo facilius contingere potest & solet, quo magis opiatis, stupefacientibus & narcoticis offendens fuerit ventriculus, quicquid etiam opiatorum Patroni hic sentiant aliter. Si anomaliae mensium, vel haemorrhoidum *cardialgiae* ortum dederint, illis ordinis suo restitutis mitigatio vel solutio est expectanda &c.

## §. XXV.

Quomodo cumq; vero cum exitu morbi comparatum sit, prudentis tamen medici est, undique prospicere, ne, quod cervicibus aegrotantium imminet, periculum in aëtum ipsum erumpat. Proinde primum & ante omnia dispiciendum illi est, an remedia ita dicta universalia, quorsum in primis *Vena sectionem*, *emetica* atque *caractica* refero, suum hic locum inveniant? Cum nihil agere deceat medicum, quod cum indicatis morbi caussis nullum sive propinquum sive saltem remotum habeat nexus.

## §. XXVI.

Proinde quod *Vena sectionem* primum attinet, lumbens quidem fateor, eam in genere non indicari, imprimis si à manifestis erroribus, in diaeta vel regimine commissis, ortum suum traxerit; Minime vero omnium in *paroxysmo synoptico*, idque insuper *scopo curatorio* locum suum tuerit. At vero, si subjectum eminenter plethoricum & ad orgasmum humorum pronum

pronum fuerit; Si ventriculum inflammatione *pbleg-*  
*monode* vel *erysipelacea* tentatum esse, febris aliaeque  
 circumstantiae prodant, si subjecta fuerint *hypochon-*  
*driaca* vel *hysterica*, in quibus turbae sanguinis circa V.  
 P. ejusdemq; ramifications, versus varia abdominis  
 viscera distributas & consensuales inde passiones susci-  
 tantes, manifestis se se indiciis prodant, uno verbo,  
*cardialgia* cum negotio haemorrhagico, *haemorrhoidalē*  
 virorum & *menstruali* mulierum colludit, V. S. non tan-  
 tum nullum indifferens est remedium, quo vel uti  
 vel non uti possis, sed talibus in casibus absolutae po-  
 tius necessitatis est, dummodo in pedibus, magisque  
 praeservatorio quam curatorio scopo administretur.

## §. XXVII.

Ad *emetica*, nempe acria atque stimulantia, nun-  
 quam, nisi animo valde deliberato, veniendum est,  
 etiam si à causis admodum manifestis, erroribus nem-  
 pe in diaeta commissis malum exortum fuisse, satis  
 simus persuasi, talique casu naturam ipsam, vomitus  
 spontaneos eum in finem suscitantem, atque adeo  
 solemniter nobis praeeuntem habeamus: Cui cautioni  
 eo citius locus relinquendus est, quo magis cum subje-  
 ctis insensibilibus, ad vomendum non admodum pro-  
 clivibus res nobis fuerit. Ut taceam, dyspnœam ut-  
 plurimum conjunctam, emetico sumpto, augeri, spas-  
 mum intendi, &, collidente in subjectis hypochon-  
 driacis & hystericas negotio haemorrhagico, sangu-  
 nem versus superioria violentius restringi; Quo quip-  
 pe casu haud raro deliria maniacâ suscitata, vel, te-  
 stantibus Practicorum observationibus, vomitus crû-  
 entus incurabilis ac proinde lethalis aliaq; mala plura  
 inducta

inducta fuere. Et quid quaeso ad flatuum, in ventriculo pertinacius conclusorum eductionem facient vomitoria? Vel, an illis ausculrabunt egressumq; molientur lumbrici, si, quod facere subinde solent, fabulam illi ludant? An vero potius *Hippocratis* nos moveat auctoritas, qui in non febricitantibus, cibi fastidium & cardiogmum cum vertigine tenebricosa & oris amaritudine purgationem per superiora indicare, profesus est? Concedo tamen, in personis ~~eveneris~~ abstergentibus ac diluentibus aquofis, v. g. decoctis hordeaceis vel cerevisiae secundariae tepidae butyroq; insulso imbutae aliisque nauseam magis quam vomitum inducentibus remediis locum esse posse; Quo ultimo imprimis scopo *radicem ipecacuanhae* cum cremore vel  $\oplus$  fato sociatam commendamus. Neque reticere hic possumus, in infantibus *cardiogmo tentatis oxymel squilliticum* cum *syrupo fl. persicorum* permixtum aliquoties optime sese geffisse.

## §. XXVIII.

Idem de *purgantibus*, acribus nempe atque stimulantibus, ferendum est judicium; Certissime enim spasticos ventriculi motus magis irritando, *patemata cardialgica* exacerbant. Non tamen promiscue & indiscriminatum damnamus omnia; Meminit *Exper.D.D. Praes.*, pilulas Stahlianias vel per se in potu *Caffee* solutas, vel cum praecipitante quadam, magnesia alba &  $\oplus$  lato permixtas & pulveris forma per aliquot horarum intervalla repetitis vicibus exhibitas quam maxime impetuosas *cardialgias*, postquam unam vel alteram sedem excitaverant, sedasse. Peritum insuper svademos selectum, subjectorum nempe, constitutionum

tionum caussarumq; habitudini proportionatum. Ita namque rhabarbarina prae aliis melius quadrant, si à praecedente iracundia indeque coorta effusione vel regurgitatione bilis ortum suum deduxerit *cardialgia*. In caussa *vermium* citra exceptionem melius se gerit & dulcis. Et quotiens faburra humorum ferosorum viscido - mucidorum generationi flatuum indeque surgenti *cardialgiae* primos praebuit natales, *jalappa* palmam reliquis dubiam reddit. Mallem tamen, in casu flatuum incarcatorum prae purgantibus clysmata carminativa, ex HB. menthae crispa & origani, floribus Chamomillae, bacc. lauri & juniperi nec non feminibus carvi & foeniculi paranda commendare; Quibus motus spastici, sic satis subinde violenti à superioribus ad inferiora placide invitantur vel saltem acerbior eorundem impetus mitigatur.

## §. XXIX.

Sicuti ergo circumspectum esse decet artificem in usu *evacuantium*: Ita in *alterantium* adplicatione non minori opus est prudentia. Est autem potissimum de *carminativis* & *opiatis* mihi sermo. *Illa* non oportet esse acria, calida, oleosa, volatilia ac spirituosa, qualia sunt oleum dest. carvi, succini & spir. salino - oleosi volatiles: Quia longe certius *passiones cardialgicas* extimulant, quam refraenant, anxietatesq; praecordiorum augent. Eligimus potius horum loco esf. cort. Otior. cum Ω combinandam, esf. itidem cascarill. cum esf. millefol. maritandam. Quid oleum Chamomillæ sapphirinum, quod interno pariter ac exter- no usu commendavit ETTMULLERUS, quodque

D

sui

sui simile vix habeat, praefest, experientiae commit-  
tendum est.

## §. XXX.

*Opiata* eo nocentiora sunt, quo incautius statim in principio, nullisque sive *praeparantibus* sive *evacu-*  
*antibus* praemissis, in usum vocantur: Quia motus ad excretionem spectantes consipiunt, ipsamque na-  
turam in agendo confundunt atque perturbant. Ex quo eodem fundamento non adprobamus quoque  
consilia illorum, qui purgantibus opiate permiscenda  
esse suadent: Quia *bac* vim illorum infringunt vel o-  
perationem saltem dubiam reddunt. Ubi tamen neu-  
tiquam ea est mens nostra, quasi propterea *anodynisi*,  
positis nempe ponendis, nullum plane locum relin-  
quendum esse existimemus. Imo potius experientia  
practico-clinica plus simplici vice nos edocuit, illas  
majores antiquorum compositiones, & inter eas *prae-*  
*cipue* *Diascordium Fracaftoriis*, contemnendas non esse.  
Neque alio forte nomine, crediderim, chamomillam  
sive decoctam sive infusam à *Forelo* laudatam esse,  
quam propter vim *anodynam*, discutientem ac re-  
solventem, quæ eidem citra dubium competit: Imo  
*AMATUS LUSITANUS*, *RIVERIUS* aliique celebriores  
Practici eandem ceu specificam in *cardialgia* commen-  
dare non dubitant; Cujus experimenti certitudinem  
& successum nos etiam in praxi haud semel observa-  
vimus.

## §. XXXI.

Reliquam *cardialgiae* curationem methodicam,  
i. e. caussis & indicationibus curativis conformem-  
atque proportionatam esse oportet. Si ergo flatus  
in ven-

in ventriculo conclusi & intercepti fuerint, praeter modestas frictiones in praecordiali regione instituendas, conducunt esl. C. Otior. & gent. rubr. cum refracta dosi esl. carminativae WEDELII maritatae; Et, si suffocationem hysterica colludere, justa fuerit suspicio, praedicta WEDELII essentia carminativa cum esl. castorei jungi potest. Externe regioni ventriculi emplastrum carminativum cum empl. de bacc. Lauri, addita theriacae veterum una vel altera drachma, imponi potest. Aliis forma fotuum vel falcularum paregoricorum, ex Herb. Abrot. Menth. c. Summit. Absinth. Fl. Chamom. Roman. Sem. anis. & carv. bacc. laur. & junip. addito Sale tosto &c. parandorum magis arridet, sive in forma sicca, sive, postquam in vino ebullierint, ventriculo adipicentur.

## §. XXXII.

In casu lumbricorum *anthelmintica* cum mercurio dulci conducunt. Sibilis corrupta fomitem mali praebeat, crystallus montana cum conchis citratis & magnesia alba vel nitro depurato vim ejus obrundet. Si turbae circa V. P. ejusque ramifications fuerint subortae, eas esl. millefolii vel ejusdem infusum complacabit. Et quanquam irritum omnino sit, quandam in ventriculo debilitatem vel imbecillitatem accusare velle, cum tonus ejusdem in *cardialgia* potius auctus, quam imminutus sit; Ratio tamen dictitat, diuturnam atque violentam fibrarum ventriculi tensionem & extensionem, quandam utique relaxationem post se trahere. Quo proinde casu tin& vitr. martis Ludoviciam commendare non dubitamus. Vehementiam,

D 2

motuum

motuum spasticorum, quos essentiam *cardialgiae* constituere, superius indicavimus, contemperant pulveres antispasmodici, per intervalla repetendi. Quid vinum rhenanum, antiquum & generosum, purum nempe & sincerum nullo alio adulteratum valeat, malumus cuiusvis experientiae commendare, quam multis verborum ambagibus describere. Qua coeteroquin ratione in *diaeta* vel *regimine* gerere sese debent, qui *pathematibus* *cardialgico*-*syncopticis* semel atque iterum obnoxii fuere, id unusquisque ex juvantibus & nocentibus ediscere haud difficulter potest.

F I N I S.



Frankfurt a.O., DIN, 1725-27







1727, 1  
7

TATIO INAUGURALIS MEDICO-  
PRACTICA  
DE  
**RDIALGIA  
NCOPTICA,**  
*QUAM*  
ENTE DEO OPTIMO MAXIMO  
IN ALMA VIADRINA  
OSO FACULTATIS MEDICAE  
CONSENSU  
Sub PRAESIDIO  
**ANDREAE OTTOMARI  
GOELICKE,**  
M.D. DOCT. ET PROF. PUBL.  
h.t. FAC. MED. DECAN.  
Et Circuli Lebus. Physic. Ordinarii  
RIS AC PRAECEPTORIS SUI OMNI HONORIS  
CULTU AETATEM PROSEQUENDI  
RO GRADU DOCTORIS  
QUE HONORIBUS, PRIVILEGIIS ATQUE  
IMMUNITATIBUS  
RITE AC LEGITIME IMPETRANDIS  
Die III. Octobr. An. M D C C XXVII.  
Horis ante & pomeridianis  
N AUDITORIO MAJORI  
ac publico Eruditorum Examini submittit  
**CHRISTIANUS UNGNAD**  
Francof. Meso-Marchicus.  
ti cis Viadrum, Typis TOBLÆ Schwartz.